



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsque ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Articulus 5. Vtrum principium pœnitentię sit ex timore.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

Præterea: Præteritum est proprium obiectum memoria, secundum Philosophum in lib. de Memoria. Sed penitentia est de præterito: ut dictum est. Ergo penitentia est in memoria sicut in subiecto.

Præterea: Nihil agit ubi non est. Sed penitentia excludit peccatum ab omnibus viribus anime. Ergo penitentia est in qualibet vi anime, & non in voluntate tantum.

Sed contra. Penitentia est sacrificium quoddam secundum illud Psalm. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Sed offerre sacrificium est actus voluntatis: secundum illud Psalm. Voluntarie sacrificabo tibi. Ergo penitentia est in voluntate.

Respondeo dicendum, quod de penitentia dupliciter loqui possumus. Vno modo, secundum quod est passio quedam. Et sic, cum sit species tristitia, est in concupiscibili sicut in subiecto. Alio modo, secundum quod est virtus. Et sic, sicut dictum est, est species iustitie. In iustitia autem, (ut in secunda parte habitum est) habet pro subiecto appetitum rationis, qui est voluntas. Unde manifestum est, quod penitentia, secundum quod est virtus, est in voluntate sicut in subiecto, & proprius eius actus est propositum emendandi Deo illud, quod contra eum commissum est.

Ad 1. ergo dicendum, quod ratio illa procedit de penitentia secundum quod est passio.

Ad 2. dicendum, quod vindictam appetere, ex passione de alio, pertinet ad irascibilem. Sed appetere, vel facere vindictam ex ratione de se, vel de alio, pertinet ad voluntatem.

Ad 3. dicendum, quod memoria est vis apprehensiva præteriti. Penitentia autem non pertinet ad vim apprehensivam: sed ad appetitivam, qua præsupponit actum apprehensivum. Unde penitentia non est in memoria: sed præsupponit eam.

Ad 4. dicendum, quod voluntas (sicut in prima parte habitum est) movet omnes alias potentias anime. Et ideo non est inconueniens, si penitentia in voluntate existens, aliquid in singulis potentis anime operetur.

**H**ic articulus non indiget commentario: nam ex præcedente manifeste sequitur propriam virtutem penitentia esse in voluntate, ut D. Thom. respondet. Solum posset queri, an in appetitu sensitivo respondeat illi aliquis habitus, facilitans illam ad cooperandum huic iustitie ad Deum in satisfactione exhibenda. Sed hæc quaestio generalis est, de his præcipue virtutibus, quæ sunt ad alterum, & in sequente disputatione non nihil in particulari attingemus.

ARTICVLVS V.

Utrum principium penitentia sit ex timore.

**A**d quintum sic proceditur. Videtur quod principium penitentia non sit ex timore. Penitentia enim incipit in displicentia peccatorum. Sed hoc pertinet ad charitatem: ut supra dictum est. Ergo penitentia magis oritur ex amore, quam ex timore.

Præterea: Ad penitentiam homines prouocantur per expectationem regni celestis: secundum illud Matth. 3. & 4. Penitentiam agite, appropinquabit enim vobis regnum calorum. Sed regnum calorum est obiectum spei. Ergo penitentia magis procedit ex spe, quam ex timore.

Præterea: Timor est quidam actus interior hominis. Penitentia autem non videtur in vobis esse ex opere hominis, sed ex opere Dei: secundum illud Hier. 31. Postquam conuersisti me, ego penitentiam. Ergo penitentia non procedit ex timore.

Sed contra est, quod Isai. 26. dicitur: Sicut que concepit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus, scilicet per penitentiam. Et postea subditur secundum aliam literam. A timore tuo Domine, concepimus, & quasi parturimus, & peperimus spiritum salutis, id est, penitentia salutaris: ut per præmissa patet. Ergo penitentia procedit ex timore.

Respondeo dicendum, quod de penitentia loqui possumus dupliciter. Vno modo quantum ad habitum. Et sic immediate à Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus: non tamen sine nobis dispositiue cooperantibus per aliquos actus. Alio modo possumus loqui de penitentia quantum ad actus, in quibus Deo operanti in penitentia cooperamur. **B** Quorum actuum primum principium, est Dei operatio conuertentis cor: secundum illud Threnor. cap. vii. Conuertere nos, Domine, ad te, & conuertemur. Secundus actus est motus fidei. Tertius est motus timoris seruili, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis, sub spe venie consequendæ, assumit propositum emendandi. Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & non iam propter supplicia. Sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reuerentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert.

Sic igitur patet, quod actus penitentia à timore seruili procedit, sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato: à timore autem filiali, sicut ab immediato & proximo principio.

Ad 1. ergo dicendum, quod peccatum primo incipit homini displicere (maxime peccatori) propter supplicia, quæ respicit timor seruili, quam propter Dei offensam, vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad charitatem.

Ad 2. dicendum, quod in regno calorum appropinquante, intelligitur aduentus Regis, non solum præstantis, sed etiam punientis. Unde & Matth. cap. 3. Ioannes Baptista dicebat, Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere à ventura ira.

Ad 3. dicendum, quod ipse etiam motus timoris procedit ex actu Dei conuertentis cor: unde dicitur Deuteronom. capite quinto: Quis det eos talem habere mentem, ut timeant me? Et ideo per hoc, quod penitentia à timore procedit, non excluditur, quin procedat ex actu Dei conuertentis cor.

COMMENTARIVS.

**S**atis declarat Diuus Thomas in articulo sensum tituli eius: non enim inquitur, quod sit principium veluti Phisicam, efficiens in nobis virtutem penitentia: quia hoc modo inquit D. Thom. solus Deus est principium infundens nobis virtutem penitentia, nobis tantum dispositiue cooperantibus. Sed inquitur de ipso actu penitentia, seu de actibus, quibus cooperando diuinæ gratiæ usque ad agendam veram penitentiam perducimur: & sic ait Diuus Thomas: principium penitentia esse timorem, tum seruilem, tum etiam filialem: illum remotum, hunc vero proximum. Circa priorrem partem occurrebat quaestio, quam hic tractat Caietanus, An penitentia sit virtus infusa? sed hanc tractabimus disputatione sequente. Nunc solum aduerto, quod licet detur aliqua virtus penitentia acquisita: loquendo tamen de penitentia Christiana, quæ sola apud nos debet censeri penitentia simpliciter, illa re vera est virtus infusa. Et ideo Diuus Thomas de hac penitentia Theologica tractans ita absolute loquitur: & supernaturale, ac diuinum principium illi attribuit.

Circa alteram partem aduertendum est, etiam de actu penitentia posse moueri quaestionem de principio

Art. præced. 12 q. 16. ar. 6.

1 p. q. 82. ar. 4.

4. 14. q. 1. ar. 2. q. 1. per 10. Et 2. cor. ar. 3. huius quaest.



capio physico eius, de quo etiam Divus Thomas non agit, quia ad materiam de gratia spectat. Et de illo eadem proportione loquendum est, quia de habitu: virtusque enim principale principium, non solum in genere causae primae, sed etiam in genere causae proximae est Deus, ut autor supernaturalium donorum. Quia tam actus, quam habitus quoad substantiam supernaturalis est: quoad instrumentale autem principium interuenit differentia, quod habitus saepe fit medio sacramento tanquam principio physico, non vero actus, qui vel supponitur ad susceptionem sacramenti, vel si est consequens, non est per se & certa lege coniunctus cum effectu sacramenti. Ex parte item nostra intercedit alia differentia, quod habitus fit à solo Deo in nobis, tanquam à principio extrinseco: actus vero fit quidem à Deo principaliter operante, & cooperante, non tamen in influxu physico humanae voluntatis consentientis gratiae Dei. Solum ergo agit D. Thomas de progressu morali, quo per varios actus intellectus & voluntatis, diuina gratia trahit voluntatem, vsque ad verum actum poenitentiae efficiendum. Et sic numerat Divus Thomas sex actus, quorum primus non est proprie actio humana, sed est motio quaedam diuina, quae à Concilio Tridentino nomine vocationis, seu excitantis gratiae significatur. Secundus est actus fidei. Reliqui sunt actus voluntatis, inter quos primus est timor. Vnde, cum dicitur principium poenitentiae esse ex timore, intelligi debet inter actus humanos à voluntate elicitos. Inter quos ponitur timor seruilis primo loco, in secundo vero spes, & in tertio charitas, non quia hic ordo sit simpliciter necessarius, sed quia hic est ordinarius modus procedendi, & maxime accommodatus conditioni humanae. Et ideo doctrinam hanc quoad hanc partem Concilium Tridentinum amplectum est. Est tamen differentia, nam Concilium Tridentinum immediate post actum amoris ponit odium, & detestationem peccati: postea vero adiungit propositum inchoandi nouam vitam, D. Thomas autem interponit actum timoris filialis, ut proximum Charitati. Quo, inquit, propter reuerentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. Quod dictum Diui Thomae habet difficultatem, ut supra tetigit: tam quia offerre Deo emendam, non videtur esse actus timoris, sed potius desiderij, & propositi emendandi vitam: tum etiam, quia hoc propositum est posterius proprio actu poenitentiae, qui est detestatio peccati. Dicit vero potest primo, Diuum Thomam sub actu charitatis comprehendere actum propriissimum poenitentiae aduersus peccatum: sic enim ait, Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum: quae displicentia est formalissimus actus poenitentiae. Vnde cum inferius ait, poenitentiam esse ex timore filiali, intelligitur, vel quantum ad actum propositi emendae, vel quantum ad satisfactionem voluntariam, quam homo Deo offert pro peccato, quam nomine emendae videtur Diuus Thomas in illo sexto actu intelligere. Vel secundo, cum in quinto actu innouit displicentiam peccati secundum se, exponi potest, non de propria detestatione peccati commissi, sed de absoluta displicentia, & odio peccati secundum se spectati, ut repugnat bonitati diuinae, iam dilectae per charitatem: Ex qua dilectione, & odio nascitur quaedam fuga status culpae, & peccati ex eodem motu diuinae bonitatis, quae proprie pertinet ad timorem filialem: quatenus respicit permanentiam in illo statu, & illam fugit. Ex quo timore nascitur voluntas destruendi peccatum commissum, quae iam spectat ad actus poenitentiae: quam voluntatem appellauit Diuus Thomas voluntariam oblationem emendae: nam ibi per emendam, ut dixi, non inchoationem nouae vitae, sed recompensationem culpae commissae intelligit. Et ita ex hac voluntate sequitur detestatio

A praeteritae, & propositum futurae vitae. Vnde constat in doctrina Diui Thomae nihil esse contrarium doctrinae Concilij, sed Concilium illum actum timoris filialis omisisse, quia fortasse adeo frequens, aut necessarius non est.

ARTICVLVS VI.

Vtram poenitentia sit prima virtutum.



D sextum sic proceditur. Videtur quod poenitentia sit prima virtutum. Quia super illud Matthei 3. Poenitentiam agite, dicit Gloss. Prima virtus est per poenitentiam punire veterem hominem, & vitam odisse.

Præterea: recedere à termino, prius esse videtur, quam accedere ad terminum. Sed omnes aliae virtutes pertinere videntur ad accessum ad terminum, (quia per omnes ordinatur homo ad bonum agendum) poenitentia autem videtur ordinari ad recessum à malo. Ergo poenitentia videtur esse prior omnibus aliis virtutibus.

Præterea: Ante poenitentiam est peccatum in anima. Sed simul cum peccato nulla virtus anime inest. Ergo nulla virtus est ante poenitentiam: sed ipsa videtur esse prima, quae alius aditum aperit, excludendo peccatum.

Sed contra est, quod poenitentia procedit ex fide, spe, & charitate: sicut iam dictum est. Non ergo est poenitentia prima virtutum.

Respondeo dicendum, quod in virtutibus non attenditur ordo temporis quantum ad habitus: quia cum virtutes sint connexae (ut in secunda parte habitum est) omnes simul incipiunt esse in anima. Sed dicitur vna eorum esse prior altera ordine naturae, quia consideratur ex ordine actuum: secundum scilicet, quod actus vnus virtutis praesupponit actum alterius virtutis. Secundum hoc igitur dicendum est, quod actus quidam laudabiles etiam tempore precedere possunt actum, & habitum poenitentiae: sicut actus fidei, & spei infirmium, & actus timoris seruilis. Actus autem, & habitus charitatis simul sunt tempore cum actu, & habitu poenitentiae, & cum habitibus aliarum virtutum. Nam, sicut in secunda parte habitum est, in iustificatione impij simul est motus liberi arbitrij in Deum (qui est actus fidei per charitatem formatus) & motus liberi arbitrij in peccatum: qui est actus poenitentiae. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter praecedit secundum: nam actus virtutis poenitentiae est contra peccatum ex amore Dei, vnde primus actus est ratio, & causa secundi. Sic igitur poenitentia non est simpliciter prima virtutum, nec ordinis temporis, nec ordinis naturae, quia secundum ordinem naturae simpliciter praecedunt ipsam virtutes Theologicae. Sed quantum ad aliquid est prima inter ceteras virtutes ordine temporis, quantum ad eius actum, qui primus occurrit in iustificatione impij. Sed ordine naturae videntur esse aliae virtutes priores, sicut quod est per se, est prius eo, quod est per accidens: nam aliae virtutes per se videntur esse necessariae ad bonum hominis: poenitentia autem supposito quodam, scilicet peccato praesentem: sicut etiam dictum est circa ordinem sacramenti Poenitentiae ad alia sacramenta praedicta.

Ad 1. ergo dicendum, quod Gloss. illa loquitur quantum ad hoc, quod actus poenitentiae primus est tempore inter actus aliarum virtutum moralium.

Ad 2. dicendum, quod in motibus successiuis recedere à termino est prius tempore, quam peruenire ad terminum, & prius natura, quantum est parte subiecti, siue secundum ordinem causae materialis. Sed secundum ordinem causae agentis, & si nalis prius est peruenire ad terminum: hoc enim est, quod primo agens intendit. Et hic ordo praecipue attenditur in actibus animae: ut dicitur in 2. Phys.

Ad 3. dicendum, quod poenitentia aperit aditum virtutibus.

Numeratur sex actus quibus homo ad agendam poenitentiam inducitur.

4 d. 17 q. 1. art. 1 q. 6 ad 6 et art. 2. q. 2. Gl. ff. ord. i. bid.

12 q. 65. art. 1.

12 q. 113. art. 3 et 8.

q. 66. art. 4.